

pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjecta; necnon supremam jurisdictionem in illis Nobis, et eidem Romanæ Ecclesiæ competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere, et vexare variis modis præsumunt; necnon adherentes, fautores, et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

Volentes præsentibus nostris processibus, ac omnia, et quæcumque his litteris contenta, quousque alii hujusmodi processibus a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Cæterum a prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, et satisfaciendo cautione præstita absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, et indulgentiarum quibuscunque Personis Ecclesiasticis, sæcularibus, et quorumvis Ordinum etiam mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, et eorum Monasteriis, Conventibus, et Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, et Locis piis, necnon Laicis, etiam Imperiali, Regali, et alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, et dictam Sedem ac cujusvis Concilii decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessorum, innovatorum, aut concedendorum, et innovandorum.

Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, et anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, et temporaliter, prout expedire noverimus processuri.

Declarantes, ac protestantes quæcumque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius a præmissis cum vero proposito ulterius similia non committendi destiterint, ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, Constitutiones, pragmaticas, et decreta hujusmodi publice revocaverint, et ex Archivis, seu Capitularibus, locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, et cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem aut quoscunque alios actus contrarios tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum, quantocunque tempore continuatam, in præmissis omnibus, et singulis, ac quibuscunque juribus Sedis Apostolicæ, ac S. R. E. undecunque, et quandocunque quæsitis, vel quærendis nullatenus præjudicari posse, aut debere.

Non obstantibus privilegiis, indulgentiis,

indultis, et litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cujuscunque Ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, et præeminentiæ fuerint, etiamsi, ut præfertur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis Ecclesiastica, et mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis a prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, et sub quavis alia forma, et tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per Litteras Apostolicas, non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, indultis hujusmodi, ac de Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, et dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, præscriptionibus quantumcunque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros Processus, ac sententias, quominus includantur, in eis se juvare valeant, vel tueri, quæ omnia quoad hoc eorum omnium tenore, ac si ad verbum, nihil penitus omissis, insererentur, præsentibus pro expressis habentes penitus tollimus, et omnino revocamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ut vero præsentibus nostris Processibus, ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas Processus ipsos continentes, valvis Basilicæ S. Joan. Lateranensis, et Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos Processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper ut Processus ipsi, et præsentis litteræ, ac omnia, et singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque Civitatibus, et locis fuerint publicata, universis, et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et locorum Ordinariis, et Prælatibus ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, et in virtute sanctæ Obedientiæ districte præcipiendo mandamus, ut per se, vel alium, seu alios præsentibus litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries, in Eccl. suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenierit, solemniter publicent, et ad Ch. fidel. mentes reducant, nuntient, et declarent.

Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, alique locorum Ordinarii, et Ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri sæculares, et quorumvis Ordinum Regulares, ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, et percipere studeant.

Volentes earundem præsentium transumptis, etiam expressis, Notarii publici manu subscriptis, et Sigillo Judicis Ordinarii Romanæ Curie, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eandem prorsus fidem in iudicio et extra illud, ubique locorum, adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commisionis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ 24 Martii 1701.

## ARTICULUS III.

*Excommunicationes summo pontifici reservatæ extra bullam Cænæ.*

Contra Prælatos Ecclesiæ.

1. Prælatos vexantes Censuris commorantes in servitio Papæ. Extravag. 3, *de Privileg.*

2. Prælatos trahentes personas Ecclesiasticas ad Forum Laicale; Martin. V. Constit. incipient. *Ad reprimenda.*

3. Cardinales, qui per Simoniam ambiunt Papatum, aut cum aliquo tractant de eligendo Pontifice, dum actu vivit Pontifex; Paul. IV. Const. incip. *Cum secundum.*

4. Cardinales aliquid ordinantes, seu disponentes contra Bullam Julii II. in electione Summi Pontificis, Julius II. Constit. incipient. *Cum tam Divino.*

5. Cardinales revelantes aliquid de actis secreto in consistorio, exstante decreto Pontificis ne revelentur. Leo X. in *Conc. Lateranens.*, sess. 9. et Pius V. Const. incip. *Romani.*

6. Episcopos, aliosque Beneficiorum Colatores conferentes Beneficia Ecclesiastica post suspensionem contractam, admittendo eorum resignationes extra casus designatos, et ultra formam præscriptam. Pius V. Constit. incip. *Quanta est Ecclesia Dei.*

7. Administratores Episcopatum, et inferiores Episcopis publicantes Indulgentias cum amplis privilegiis, et cum suspicione Simonie. Pius V. Constit. incip. *Quam plenum.*

8. Inquisitores male procedentes contra Hæreticos. Clementina *Multorum*, § *Verum, de Hæret.*

9. Prælatos, et Governatores Civitatum, et locorum status Ecclesiastici recipientes munera præter comestibilia. Paul. II. Constit. incip. *Munera.*

10. Prælatos, et Officiales Pœnitentiariæ recipientes pro expeditione aliquid etiam sponte oblatum a partibus. Pius V. Constit. incip. *in omnibus rebus.*

11. Prælatos, et ministros Camere Apostolicæ non reddentes integre computa ejus-

dem. Paul. III. Constit. incip. *Cum sicut.*  
Contra Clericos Seculares et Regulares.

1. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non mutanda sepultura in eorum Ecclesiis. Clement. *Cupientes* § *Sane, de Pœnis.*

2. Participantes in divinis cum excommunicato a Papa; cap. *Significavit, de Sentent. excomm.*

3. Retinentes Beneficia in confidentiam. Pius IV. Constit. incip. *Romanum Pontificem*, et Pius V. Constit. incip. *Intolerabilis.*

4. Procurantes alienationes honorum Ecclesiæ. Paul. II. Constit. incip. *Cum in omnibus.*

5. Prædicatores non servantes decreta pro eis lata in Concilio Lateranensi. Leo X. Const. incip. *Supernæ.*

6. Procurantes eligi in successorem Papæ. Leo X. in *Conc. Lateranens.*, sess. 5. Julius II. Constit. incip. *Cum tam divino.*

7. Absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus Bullæ Cænæ, vel Ordinariis reservatis. Decretum Sacræ Congreg. Episcop. et Regular. a Clemente VIII. approbatum 1602.

8. Consentientes usurpationibus Ecclesiarum. Concilium Tridentinum, c. 11, sess. 22, *de Reform.*

9. Trahentes Personas Ecclesiasticas ad Forum laicale. Martin. V. Constit. incipient. *Ad reprimendas.*

10. Parochos, et Beneficiatos non adimplentes juramenta de residendo. Pius IV. Constit. incip. *Inter multiplices curas.*

Contra Regulares.

1. Euntes ultra mare sine licentia suorum Superiorum. Extravagant. *Ad nostrum, de Regular.*

2. Mendicantes transeuntes ad non mendicantes. Extravagant. *Viam Ambitiosæ, de Regular.*

3. Administrantes Sacramenta Extremæ Uctionis, et Eucharistiæ infirmis, vel matrimoniis solemnizantes sine licentia Parochi. Clement. 1, *de Privileg.*

4. Superiores non denuntiantes Religiosos qui sunt suspecti de hæresi, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum. Paul. V. Constit. incip. *Romanus Pontifex.*

5. Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ. Julius II. Constit. incip. *Virtute conspicuos*, extra Bullarium.

6. Tertiarios portantibus Habitum Minorum. Leo X. Constit. *Licet alias*, extra Bullarium.

7. Clericos Regulares Societatis Jesu discedentes sine licentia a Societate, etiamsi prætextu melioris frugis transeant ad alium Ordinem, eorumque receptores, Carthusianis exceptis. Greg. XIII. Constit. incipient. *Ascendente.*

8. Minimos subtrahentes se ab observantia Correctorum. Paul. III. Constitution. incipient. *Cum sicut.*

9. Subornantes, et procurantes vota in



electionibus, et complices, ac simpliciter scientes et non revelantes. Clemens VIII. Constitut. incip. *Nullus omnino*.

10. Moniales exeuntes de clausura absque licentia. Pius V. Const. incip. *Decorum*.

11. Dantes et recipientes ob ingressum Religionis. Extravagant. commun. 1, de *Simonia*.

Contra Dominos temporales.

1. Dominos temporales, qui in terris eorum suppositis interdicto cogunt celebrare, et audire divina. Clement. *Gravis, de Sentent. excomm.*

2. Iudices, et Officiales trahentes Personas Ecclesiasticas ad Forum laicale. Martin. V. Constit. incip. *Ad reprimendas*.

3. Officiales, ac Dominos temporales bannientes, seu mandantes banniri personas Ecclesiasticas. Urban. IV. Const. incip. *Quia sicut*.

4. Prohibentes subditis, ne vendant Ecclesiasticis; cap. fin. ff. de *Immunit. Eccles.*

5. Officiales, et Dominos temporales percutientes, vel bannientes Episcopos, vel hæc mandantes, aut facta ab aliis ratificantes. Clement. 1, de *Pænis*.

6. Tractantes de novo Papa eligendo, vivente alio, stipulationes, promissiones, conventiones, et pacta facientes, eorumque complices, et Fautores, etiamsi Imperiali et Regali fulgeant dignitate. Paul. IV. Constit. incip. *Cum secundum*.

7. Principes, et Dominos temporales concedentes locum, vel permittentes duellum in terris suis. Concil. Trident., sess. 25, de *Reformat.*, c. 19. et Clemens VIII. Constit. incip. *Illius vices*.

Contra Omnes.

1. Falsarios litterarum Apostolicarum; c. *Falsariorum, de Crimine falsi*.

2. Habentes litteras Apostolicas falsas, et illas non destruentes; c. *Dura, de Crimine falsi*.

3. Percutientes Clericum, vel Monachum; c. *Si quis suadente* 17, qu. 4.

4. Perseverantes per annum in excommunicatione lata a Delegato Papæ; c. *Quærenti, de Officio Delegati*.

5. Incendiarios a Iudice excommunicatos, et denunciatos; c. *Tuos nos, de Sent. excomm.*

6. Absolutos ab excommunicatione, sub conditione, et non implentes; c. *Eos qui, de Sentent. excomm.*, in 6.

7. Vexantes eos, qui censuram in aliquos tulerunt; c. *Quicumque, de Sent. excomm.* in 6.

8. Sacrilegos effractores Ecclesiarum; c. *Conquesti, de Sent. excomm.*

9. Eligentes potentem insignem in Senatorem Romanum; c. *Fundamenta, de Election.*, in 6.

10. Communicantes in crimine cum excommunicatis a Papa; c. *Nuper, de Sent. excomm.*

11. Violantes interdictum modis prohibitis, in *Clementina Gravis, de Sent. excomm.*

12. Offendentes Cardinales; c. *Felicis, de Pænis*.

13. Exigentes tributa a personis Ecclesiasticis; c. *Clericis, de Immunit.*, in 6.

14. Conspirantes in personam Pontificis; Extravag. *Etsi Dominici, de Pænit. et remiss.*

15. Exenterantes corpora defunctorum; Extravagant. *Detestandæ, de Sepulturis*.

16. Falsificantes monetam Regis Franciæ; Extravagant. Joann. XXII. *Prodiens, de Crimine falsi*.

17. Violantes interdictum Sedis Apostolicæ, Extravagan. *Etsi Dominici, de Pænit. et remiss.*

18. Offendentes Rectores, seu Præsides Provinciæ Marchiæ Anconitanæ; Extravagan. Joan. XXII. *Dierum, de Pænis*.

19. Taxantes opinionem de Immaculata Conceptione B. M. V. Extravag. *Grave, de Reliq.*

20. Simoniacos in Ordine, et Beneficio; Extravagant. commun. 2, de *Simon.*

21. Dantes, et recipientes ob ingressum Religionis; Extravagant. commun. 1, de *Simon.*

22. Occupantes bona Cardinal. tempore Conclavis. Leo X. Const. 16. incip. *Temerariorum*.

23. Impedientes executionem litterarum Sacræ Pœnitentiariæ. Julius II. Constitut. incip. *Rationi congruit*.

24. Dantes et recipientes pro gratia, aut justitia apud Sedem Apostolicam. Greg. XIII. Const. incip. *Cum ab ipso Pontificatus*. Et Extravagant. 1, de *Sent. excomm.* Alexand. VII. Constit. incip. *Inter gravissimas*.

25. Simulantes, et fugentes se alios esse pro obtinendis beneficiis a Dataria. Paul. IV. Const. incip. *Inter cæteras*.

26. Mittentes litteras, aut Nuncium in Conclavi, vel inde recipientes. Pius IV. Constitut. incip. *In eligendis*.

27. Occupantes bona montium Pietatis, et locorum piorum. Concil. Trident. sess. 22, c. 11, de *Reformat.*

28. Committentes duellum, vel illud consulentes. Concil. Trident. sess. 25, c. 19, de *Reformat.* Pius IV. Constitut. incip. *Ea quæ*. Greg. XIII. Constitut. incip. *Ad tollendum*, Et Clemens VIII. Constitut. incip. *Illius vices*.

29. Ambientes Papatum, ejusque causa Simoniam committentes; Paul. IV. Const. incip. *Cum secundum Apostolum*.

30. Mentientes personas in literis Apostolicis, ut earum expeditionem gratis assequantur. Innoc. VIII. Const. incip. *Cum sicut*, et Leo X. Constit. 27. incip. *Inhærendo*.

31. Capientes, et retinentes Christianos habitantes inter Turcas, et eorum bona diripientes, aut remigare cogentes. Pius V. Constitution. incip. *Licet omnibus*.

32. Suadentes Papæ, ut alienet, vel infeudet loca status Ecclesiastici. Pius V. Constitution. incip. *Admonet nos*.

33. Non revelantes conspiratores, et insidiatores, contra Cardinales. Pius V. Constitut. incip. *In felicis*.

34. Committentes Simoniam confidentialem. Pius V. Const. incip. *Intolerabilis*.

35. Publicantes indulgentias, et facultatem

dantes eligendi Confessores us, qui aliquid solvunt. Pius V. Constit. incip. *Quam plenum*.

36. Violantes Ecclesiasticam immunitatem Gr. XIII. Const. incip. *Cum alias nonnulli*.

37. Extrahentes frumentum, blada, legumina, et oleum extra statum Ecclesiasticum sine licentia. Paul. V. Const. incip. *Inter gravissimas*.

38. Diripientes animalia, et alia bona, vel illa furata ementes ex statu Ecclesiastico. Gregor. XIII. Const. incip. *Non sine gravi*.

39. Docentes posse fieri Confessionem Sacramentalem in absentia per litteras. Clemens VIII. Const. incip. *Sanctissimus*.

40. Impugnantes Institutum Societatis Jesu. Gregor. XIII. Const. incip. *Ascendente*.

41. Facientes jurare illicita, et contraria libertati Ecclesiasticæ. Gregor. XIII. Constit. incip. *Inter Apostolicas*.

42. Accipientes, et retinentes fructus beneficii vacantis, vel impediendo beneficii possessionem non solventibus dulciaria, vel aliam solutionem. Pius V. Const. *Durum nimis*.

43. Docentes, aut defendentes etiam disputative opiniones damnatas. Decreta Sac. Congr. S. Officii annis 1665, 1666, 1679, 1690 emanata.

44. Feminas ingredientes Clausuram Monasteriorum Regularium. Pius V. Constitut. incipien. *Regularium*.

45. Feminas, sive masculos ingredientes septa Monasteriorum Monialium prætextu licentiarum in casibus non necessariis. Greg. XIII. Constitut. incip. *Ubi gratia*.

46. Examine se supponentes pro alio, ut beneficium impetret. Paul. IV. Constitution. incipien. *Inter cæteras*.

47. Furto subtrahentes ex Bibliothecis Ordinis S. Francisci de Observantia, libros, quinterna, et folia. Pius V. Constitution. incipien. *Cum sicut accepimus* 4. Novembris 1568. et Sixtus V. Constitution. incipien. *Cum sicut* 3. Octobris 1587. et hanc incurunt subtrahentes etiam ex Bibliothecis aliorum Regularium.

48. Extrahentes libros et mobilia Monasterii SS. Fabiani, et Sebastiani extra Muros Urbis. Clemens XI. Constit. incip. *Cum sicut*.

49. Extrahentes vasa, et ornamenta sacra ex Sacristia, et Ecclesia ejusdem Monasterii; Clemens XI. Constit. incip. *Cum sicut*.

50. Extrahentes libros et scripturas ex publica Bibliotheca a Clemente XI. instituta in Conventu Fratrum Ordinis Minorum Conventualium Civitatis Urbini. Clemens XI. Constit. incip. *Cum nos*.

51. Extrahentes libros Bibliothecæ Conventus S. Mariæ Majoris Tiburis Ordinis Fratrum Minorum de Observantia. Clemens XI. Constitution. incipien. *Cum sicut*.

ARTICULUS IV.

*Excommunicationes nemini reservatæ.*

Contra Episcopos.

1. Venientes ad Urbem clanculo, et inde

recedentes sine licentia Papæ. Extravagan. 2 et 3, de *Major. et obedient.*

2. Usurpantes Prælaturam in Civitate diversarum linguarum; c. *Quoniam § Sed si de Offic. Ordinarii*.

3. Permittentes habitum Fratrum; Extravagant. *Sancta Romana Joan. XXII. de Religiosis Domibus*.

4. Litteras a Regibus, et Principibus impetrantes ad dignitates obtinendas. Pius V. incip. *Et si Romæ*.

Contra Clericos.

1. Contrahentes matrimonium si sint in Sacris. Clement. unic. de *Consanguin.*

2. Audientes medicinam, aut legem, si sint Sacerdotes, vel personatum habentes; c. *Super specula, ne Clerici, vel Monachi*.

3. Usurpantes munus Sacramenta administrandi in Civitate diversarum linguarum, et rituum; c. *Quoniam, de Officio Ordinarii*.

4. Impugnantes in Concionibus, vel disputationibus Montes pietatis. Leo X. Constit. incip. *Inter multiplices*.

5. Fictè resignantes, vel permutantes beneficia. Pius V. Constit. incip. *Quanta Ecclesiæ*.

6. Interessentes agitationibus taurorum, si sint in sacris, vel beneficia obtineant. Pius V. Const. incip. *De salute*.

7. Sacerdotes recipientes Præfecturas sæculares, et non desistentes ab illis post monitionem; c. *Clericis, ne Clerici, vel Monachi*.

8. Procurantes, ut alii occupent jura, et bona Ecclesiarum vacantium; c. *Generalis de Elect.* in 6.

9. Alienantes bona Ecclesiarum, vel locantes ultra triennium. Extravagan. *Ambitiosæ, de Rebus Eccles. non alienand.*

Contra Regulares.

1. Instituentes novum Ordinem sine licentia Papæ; cap. unic. de *Religiosis domib.* in 6.

2. Professos temere habitum dimittentes; cap. 2. ne *Clerici, vel Monachi* in 6.

3. Adeuntes Curias Principum, ut suis Religiosis damnum auferant. Clem. *Ne in agro, de Statu Monach.* § *Quia vero*.

4. Tenentes arma intra claustra sine licentia. Clem. *Ne in agro, de Statu Monach.* § *Quia vero*. Vide verb. *Arma* n. 4, 5 et 6.

5. Mendicantes recipientes novas domos, et receptas alienantes. Clementin. *Cupientes, de Pænis*.

6. Non servantes interdictum sive a Papa, sive ab Ordinario positum, quando observatur ab Ecclesia principali loci. Clement. 1. de *Sent. excomm.*

7. Usurpantes decimas Ecclesiis debitas, seu non permittentes, vel dissuadentes illas solvi. Clem. 1. decimis.

8. Delinquentes in visitatione Monasteriorum Monialium contra Constitutionem Alexandri VII. incip. *Felici Sacrarum Virginum*.

9. Minores transeuntes ad Capuccinos, et hos illos recipientes absque licentia Sedis



Apostolicæ. Sixtus V. Constit. incip. *Pro ea*.

10. Cruciferos requirentes favores pro dignitatibus consequendis. Clemens VIII. Const. incip. *Quoniam*, et circa hoc advertendum est, quod etiam alii Regulares habent speciales Constitutiones. Immo idem Clem. VIII. Const. inc. *Nullus omnino* pro reformatione Regularium § 35, relinquendo in suo robore Censuras, et pœnas contra hujusmodi ambientes ab aliis Pontificibus inflictas, addit ultra ipsas pro omnibus Regularibus pœnam privationis officiorum, et perpetuam inhabilitatem ad futura, reservando sibi et suis successoribus dispensationem.

Contra Dominos Temporales.

1. Retinentes nomen Vicarii Imperatoris vacante Imperio. Extrav. Joan. XXII. *Si fratrum, Ne Sede vacante*.

2. Præcipientes subditis, ne quidquam vendant Ecclesiasticis, aut aliqua alia beneficia, et obsequia eis præstent; cap. *Eos qui, de Immunit. Eccles.* in 6.

3. Impedientes Episcopos, vel Inquisitores in Officio Inquisitionis. Cap. *ut Inquisitionis, de Hæret.* in 6.

4. Concedentes repræsalias contra Ecclesiasticos. Cap. *1. de Injuriis* in 6.

5. Permittentes agitationes Taurorum in suis Terris. Pius V. Constit. incip. *De salute*.

6. Non servantes statuta in c. *Felicis, de pœnitent.* in 6. contra persecutores Cardinalium. S. Pius V. Constit. incip. *Infelicis*.

Contra Magistratus et Judices.

1. Facientes servari statuta et consuetudines contra libertatem Ecclesiasticam. Cap. *Noverit, de Sent. excomm.*

2. Negligentes reddere justitiam Ecclesiasticis post tertiam admonitionem. Cap. *Administratores* 23. q. 5.

3. Extorquentes pecunias prætextu Officii Inquisitoris. Clement. 2. *de Hæret.*

4. Potestates, et Officiales Communitatum usuras foventes, et approbantes. Clement. unic. *de Usuris*.

5. Permittentes portare arma breviora tribus palmis in statu Ecclesiastico. Pius V. Constit. incip. *Cum vices*.

6. Non parentes Cardinalibus Inquisitoribus in Officio ipsorum. Pius V. Constitutione incip. *Sanctissimus*.

7. Rectores Universitatum promoventes ad Doctoratum, vel professores ad Cathedras, non facta prius fidei professione. Pius V. Constit. incip. *In sacrosancta*.

8. Auxilium non præstantes Episcopis pro conservanda Clausura Monialium. Conc. Trident. sess. 25. c. 5 *de Regularibus et Monial.*

Contra omnes

1. Vexantes Ecclesiam, vel eorum consanguineos, quia non elegerint eum pro quo rogabantur. Cap. *Sciant cuncti, de Elect.* in 6.

2. Præsidentes, et directores Monialium

ponentes, vel nutriendes discordias in electione. Cap. *Indemnitatibus § Postremo, de Election.* in 6.

3. Conducentes Bononiæ domos alterius Scholastici, vel Doctoris ante tempus conductionis elapsam. Cap. *1. de Locato*.

4. Habentes ratas ordinationes factas a Schismaticis. Cap. *1. de Schismat.*

5. Extorquentes revocationem, vel absolutionem a Censuris per vim et metum. Cap. *1. De iis, quæ vi et metu*, in 6.

6. Judices accedentes ex causa ficta ad mulieres pro excipiendo testimonio. Cap. *de Judic.* in 6.

7. Procurantes, ut Conservatores Regularium se intromittant in aliis causis, quam in manifestis injuriis, et violentiis. Cap. fin. *de Offic. delegat.* in 6.

8. Occupantes, et usurpantes prætextu defensionis bona Ecclesiæ vacantis. Cap. *Generali, de Elect.* in 6.

9. Alloquentes secreto Cardinales, dum sunt in Conclavi. Cap. *Periculum, § Nulli, de Elect.* in 6.

10. Impedientes sequestrum factum ab Ordinario super beneficia, vel fructus occupantes. Clement. unica, *de Sequestr. posses.*

11. Mandantes interfici Christianum per assassinos. Cap. *1. de Homicid.* in 6.

12. Sepelientes hæreticos scienter in loco sacro. Cap. *2. de Hæret.* in 6.

13. Compellentes Ecclesiasticos, ut submittant laicis jura Ecclesiæ; c. *2. de Rebus Ecclesiæ non alienandis* in 6.

14. Sepelientes tempore interdicti, vel nominatim Interdictos, publicos Excommunicatos, aut Usurarios manifestos scienter in loco sacro. Clem. 1. *de Sepultur.*

15. Exigentes pedagia ab Ecclesiasticis personis. Cap. *Quamquam, de Cens.* in 6.

16. Doctores, sive magistros docentes Legem, vel Medicinam, Religiosos. Cap. *2. Ne Clerici, vel Monachi.*

17. Concedentes repræsalias, vel concessas extendentes contra Ecclesiasticos, c. unic. *de Injur.* in 6.

18. Profitentes falsam Religionem Fratrum. Extravag. Sancta Romana Joan. XXII. *de Religiosis Domibus*.

19. Impedientes Visitatores Monialium. Clem. *Attendentes, de Statu Monach.*

20. Vexantes Sanctum Officium. Pius V. Constit. incip. *De protegendis*.

21. Cogentes, vel impediendes feminas ingredi Monasteria. Conc. Trid. c. 18. sess. 25. *de Regul.*

22. Raptores mulierum, et fautores. Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. *de Reformat. Matrimonii*.

23. Cogentes injuste matrimonium. Concil. Trid. sess. 24. c. 9. *de Reform. Matrimonii*.

24. Pingentes, vel colorantes Agnos Dei; Greg. XIII. Const. inc. *Omni certe studio*.

25. Imprimentes libros absque licentia superiorum. Conc. Lateran. sub Leone X. Constit. ejusdem 12. incip. *Inter sollicitudines*.

26. Edentes Glossas in Concil. Trident. Pius IV. Constit. incip. *Benedictus*.

27. Asserentes non esse necessariam Confessionem ante sumptionem Eucharistiæ. Concil. Trid. can. 11. sess. 13. *de Sacram. Eccles.*

28. Assumentes statum Beguinarum. Clem. 1. *de religiosis Domibus*.

29. Contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Moniali. Clement. unic. *de Consanguinitate*.

30. Impugnantes Litteras Papæ non coronati. Extrav. ult. *de Sentent. excomm.*

31. Falso affirmantes matrimonia Filiorum-familias sine consensu Parentum contracta esse irrita, ac Parentes ea rata, vel irrita, facere posse, Conc. Trid. sess. 24. c. 1. *de Reform. Matrimonii*.

32. Abortum fœtus animati procurantes, Greg. XIV. Constit. inc. *Sedes Apostolica*, in qua moderatur rigor Constitutionis Sixti V. inc. *Effrenatam*, Excommunicationem Papæ reservatam imponentis, nedum pro abortu fœtus animati, sed etiam inanimati.

ARTICULUS V.

*Excommunicatio quoad eos, qui possunt, vel non, excommunicare et excommunicari.*

(1. Excommunicare possunt (ultra Summum Pontificem, qui hanc facultatem habet super omnes Fideles in toto Orbe) (1), (2. Episcopi, aliique Ordinarii in suis respective Territoriis, et Diocesisibus; cap. *Perniciosam* 1. et cap. *Conquerente* 16. *de Offic. Ordinari.* et Concil. Trident. sess. 7. cap. 3. et sess. 14. cap. 4. *de Reformat.* Nota tamen, quod si Episcopus excommunicationem aliquam tulerit per legem generalem incurramdam a transgressoribus, declaretque illos statim fore evitandos, licet publice ac nominatim denunciati non sint, quia facti notorietate dignoscitur, illos in excommunicationem incidisse; excommunicatio ista nequaquam sustinetur, cum repugnet Constitutioni Martini V. *Ad evitanda*, quidquid in oppositum sentiat Fagnanus in cap. *Quod a Prædecessore*, num. 55. *de Schismat.* Ben. XIV. de Synodo Diœc. lib. 7. cap. 68. § 4. (3. Cardinales in Ecclesiis sui Tituli; c. *His quæ* 11. *de Majoritat. et obedient.* (4. Legati Sedis Apostolicæ in Territorio suæ Legationis; cap. *Novit. 7. de Officio Legat.*, et cap. *Legatos* 2. eod. in 6. (5. Capitula Cathedralium Sede vacante; cap. *Episcopali sede vacante* unic. *de Majoritat. et obedient.* in 6. (6. Vicarius Generalis, non solum Episcopi, sed etiam Capituli Sede vacante; cap. *Venerabilibus* 7. *de Sent. Excomm.* in 6. (7. Prælati, et Præpositi Ecclesiarum Collegiatarum, et alii habentes jurisdictionem in foro Ecclesiæ externo; arg. cap. *Quærenti* 20. *de*

(1) Certissimum hoc supremæ Pontificiæ potestatis decretum ut non tam extenuarent, quam evertent, multa post Richerium commenti sunt Du Pinus *de ant. Eccl. discipl.* diss. 5, cap. 1. Quesnellus prop. ec. inter 101, a Clemente XI proscriptas, et Febronius tom. 1 et 2, p. 611, seq. Eo omnia recidunt, ut omnis Excommunicationem, etiam Pontificiarum vis a consensu pendeat saltem præsumpto totius corporis, seu Ecclesiæ, ut universitatem Fidelium

*Verbor. significat.* et cap. *Cum medicinalis* 1. *de Sentent. Excomm.* in 6. (8. Abbates et reliqui Superiores Regulares non solum Generales, et Provinciales, sed etiam per se loquendo Locales, scilicet Priores, Præpositi, Rectores, Guardiani, et alii hujusmodi respectu suorum subditorum; cap. *Cum in Ecclesiis* 10. *de Majorit. et obed. c. Ea quæ* 8. *de Statu Monach.* cap. *Sicut tuis* 33. *de Simonia.* (9. Et demum Concilia Generalia, et Provincialia in sua Provincia aut Natione, sicuti et Capitula, seu Congregationes, tum Generales, tum Provinciales, omnium Regularium. Suarez *de Censuris* disp. 2, sect. 2. Navarr. in *Manual.* cap. 27. num. 5. Palao tract. 29. disp. 1. sect. 4. num. 2. et alii passim.

(10. Excommunicare non possunt Laici, cap. *Decernimus* 2. *de Judic.* et est communis. (11. Nec mulieres etiam si sint Abbatissæ Monialium; *Dilecta* 12. *de Major. et obed.* quia Officium clavium non cadit in sexum femineum. Glossa communiter recepta in cap. *Nova, de Pœnitent. et remiss.* (12. Nec Clerici conjugati durante conjugio, et ideo Vicarii Episcopi esse non possunt. Sayr. *de Censuris* lib. 1. cap. 5. n. 12. Monacelli tom. 3. in princip. num. 52.

(13. Excommunicari possunt solummodo Christiani viatores graviter, et contumaciter delinquentes, rationis capaces, et jurisdictioni Judicis ferentis Excommunicationem subjecti. Sic communiter Doctores, et ostenditur inductione. (14. Dicitur primo, *solummodo Christiani*, quia Judæi, Pagani, Saraceni, aliive Infideles, ex quo non sint baptizati, et per hoc nec Ecclesiæ potestati subjecti, nulli Ecclesiasticæ censuræ subiciuntur, ut colligitur ex 1 *ad Corinth.* cap. v. ibi: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* (15. Unde Hæretici, Apostatæ, atque schismatici, ex quo sint baptizati, et Christi fidem semel susceperint, possunt excommunicari, arg. cap. *De Judæis* 4. dist. 45. cap. *Majores* 3. *de Baptismo*, et de facto quotannis excommunicantur in Bulla Cœnæ Domini, ut patet in ejus § primo. (16. Dicitur secundo, *viatores*, seu in terris viventes, quia mortui non possunt excommunicari, ut ex verbis Domini expresse probat Gratianus caus. 24. quæst. 2. ibi: « Quod autem post mortem nullus excommunicari valeat, vel absolvi, ex verbis Evangelii monstratur, quibus dicitur: Quodcumque ligaveris super terram, etc., super terram, inquit, non sub terra, ostendens, quod viventes pro varietate suorum meritorum solvere possumus, et ligare, de mortuis autem sententiam ferre non possumus, » sed, ut inquit Leo I, relatus in cap. *de Communione* 1. caus. 24. quæst. 2. *Horum causa Dei judicio reser-*

omnium denotat, huic enim primo et præcipue ligandi ac solvendi potestatem datam effutiunt, a qua in ejus ministros, cujusmodi ipsum quoque Romanum Pontificem esse volunt, tota derivetur. Hæc novorum dogmatum portenta habes a Ballerino *de vi ac ratione primatus* et a Zaccaria Antifebr. Italici tom. 11, diss. 3, cap. 2, et Antifebr. vindic. tom. 3, diss. 6, cap. 5, confutata. (EDIT. BARBIELL.)